



16 13

SANCTÆ PERENNIQVE MEMORIÆ  
SERENISSIMI OLIM POTENTISSIMIQVE  
PRINCIPIS AC DOMINI,  
DN. JOHANNIS  
GEORGII SECUNDI,  
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MON-  
TIUMQVE DUCIS, S. ROM. IMP. ARCHI-  
MARESCHALLI ET ELECTORIS, LANDGRAVII  
THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ AC LUSATIÆ  
UTRIUSQVE, BURGGRAVII MAGDEBURGENSIS, COMITIS  
MARCANI ET RAVENSBURGI, DYNASTÆ  
RAVENSTEINI,  
RELIGIOSI, MAGNIFICENTISSIMI, PACIFICI,  
JUSSU ET AUCTORITATE  
PATRIS PATRIÆ AUGUSTI  
SUCCESSORIS FILII,  
NOMINE RITUQVE PUBLICO  
ACADEMIÆ VVITTENBERGENSIS,  
IN TEMPLO ARCIS CATHEDRALI,  
VI. EID. OCTOBRIS, H. E.,  
IPSIS EXEQVIARUM SOLENNIBUS,  
A. dñ 17c LXXX,  
à  
GEORGIO CASPARE KIRCHMAJERO,  
HABITUS SOLENNITER, AC CONSECRATUS  
PANEGYRICUS FUNEBRIS.



WITTEBERGÆ, Literis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.

SANCTE PERENNIORE MEMORIA  
SERENISSIMI OLIM POTENTISSIMOQUE  
PRINCIPIS AC DOMINI

DN. JOHANNIS  
GEORGII SECUNDI

SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE, MON-  
TIMONAE DUCIS, S. ROM. IMP. ARCHI-  
MARESCHALLI ET ELECTORIS, LANDGRAVI  
THURINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE AC LIBANIAE  
BURGAVII, BURGAVII MAGDEBURGENSIS COMITIS  
MARCANI ET RAVENSBERGI, DYNASTAE  
RAVENSBERGII,

RELIGIOSI, MAGNIFICENTISSIMI, PACIFICI,

ISSUI ET VICTORIS  
PATRIS PATRIAE AUGUSTI

SUCCESSORIS FILII,  
NOMINE RITUQUE PUBLICO

ACADEMIAE VITTEMBERGENSIS  
IN TEMPIO ARGIS CATHEDRALI,

VI ID. OCTOBRI, M. DC. LXXV.  
HIS EXORATIONUM SOLEMNIBUS

GEORGIO CASPARE KIRCHMAYERO,  
HABITU SOLIKNITAE, AC CONSCRATIS

PANEGYRICUS FUNEBRIS.



WITTEBERGAE, LITERIS CHRISTIANI SCHELDNERI, Acad. Typogr.






**Q** plus quàm ferreum lapideumq;  
verbum! Vixit HEROS excel-  
sissimæ memoriæ, communis  
PATER PATRIÆ ac singularis  
penitus à pietate, pacis studio, & à magnifi-  
centiâ semper memorandus, laudandus  
nunquàm fatis Serenissimus OCTOVIR,  
Augustissimi IMPERATORIS Dextera,  
IMPERII sacrosancti ARCHIMARE-  
SCHALLUS, extinctum Lumen splendi-  
disimum in Orbe Christiano, Maximus  
idemq; Optimus ereptus Princeps est ac Do-  
minus, **DN. JOHANNES  
GEORGIUS SECUN-  
DUS!** Fulmine terribili attonitis hoc  
sensibus, non modò eloquentiæ vis omnis  
hebetata, sed sermonis etiam propemodùm  
absorptus usus est. O dolor! ô lacrimæ!  
quò me abripitis dicturum? Adeoné o-  
mnem voci viam planctibus intercludetis  
à principio? A terrimos induiti firmate  
prolixo pannos ab utroq; latere, pullato à  
compluribus huc usq; hebdomadibus fui-  
stis

A

stis habitu, dejectis etiam in terram vultibus;  
 ferali syndone præcincta scepra sunt, RE-  
 CTOR MAGNIFICE, Excellentissimi ac  
 perquam Generosi Proceres Præfecti, PA-  
 TRES ACADEMIÆ CONSCRIPTI,  
 Tuq; Exequiatorum atq; Civium insignis  
 Concio. Conventus lugubres, funesti cam-  
 panarum omnis generis tinnitus aliud quid  
 resonant, quam publica lamenta? Et mœ-  
 rori non gerendus mos? quandoquidem  
 exaggeratus obstupescit, effusione mitiga-  
 tur. Vertuntur oculi in fletus, in querelas  
 lingua, pectus in singultus gemitusq; solvi-  
 tur. Sed an liqueat animus? quin potius  
 ad rationem revocandus, & ad masculam  
 virtutem? Itane ad doloris monumentum  
 in Hermunduris nobilitatum à tot Electo-  
 rum piis ossibus, profectus es, DUX Sere-  
 nissime, ut non redires ad nos tuos amplius?  
 Itane CASTRUM, quod à PACE nomen ja-  
 ctat, nunquam inde relaturus pedem face-  
 re obitu funestum voluisti? Hoc cine, quo  
 afflictaur vehementer tua olim Dresda, flo-  
 rentissimusq; ager squalet Misniæ funeri-  
 bus, clientes subditosq; linquis, tempore?  
 quos jucundissimâ præsentia, lætissimo ad-  
 spectu invisebas toties, ac toties exhilarabas?  
 Tan-



Tantillumné oportuit inter Hilaria anni ab-  
hinc proximi pompasqve theatrales, inter  
plausum atqve nœnias, interq; Laurum &  
Cupressum interesse? ut ve grandis etiam  
proceritas Colossi sterneretur, atqve cum  
tot subditorum millibus in tumbam incli-  
naret? Tantillumné inter ignem atqve ci-  
neres fumumve? inter lucem comitemq;  
umbram, imò tenebras? Sic est, hanc gau-  
diis humanis omnibus Natura legem dixit,  
uti tristibus interscindantur. Totius uni-  
versitatis pompa pariter è nihilo in nihilum  
revolvi dicitur. Sed tamen agite, moestif-  
fimi, conveniens HEROI nostro Mausolé-  
um erigamus! non enim inter marmora  
& perenne alioqvin æs condetur gloria Au-  
gusti PRINCIPIS: durabit in animis, in re-  
cordatione, in Annalibus victuris. Ada-  
mantinis hoc insculpatur tabulis: MELI-  
OR. OPTIMO. TRAJANO. TITO. LI-  
BERALIOR. VESPASIANO. NUMA. SI.  
VEL. CHRISTIANUS. EXTITISSET.  
ETIAM. RELIGIOSIOR. AUGUSTO.  
PROPTER. PACIS. STUDIUM. FELICI-  
OR. PAR. ANTONINO. ILLI. CLYPEO.  
MUSARUM. SUPERIOR. OMNIBUS. SI.  
FESTORUM. ARTIFICIALIUMQVE.  
IGNI-

(4.)

IGNIUM. SPECTACULA. QVIS. ÆSTI-  
MET. MAGNIFICENTIA. SECUNDUS.  
NULLI. NISI. QVATENUS. COGNO-  
MINATVS. AVGVSTALIS DVX.  
**JOHANNES. GEORGI-  
US. SECUNDUS. FVIT.**

Mihi igitur (quantillo Oratori!) ecquod  
gravius imponi onus potuit, quàm ut præ-  
conem gererem divini Principis? Quod  
Vobis dignius acroama, quàm si consensu  
Academico, in Cathedrali Æde resonet O-  
ratio encomia illius? Quid opportunius,  
quàm ut hoc die funebri institutam sermo-  
nem Panegyricum, gratisimâq; cogitatione  
prosequar memoriam ejusdem? Neqveta-  
men, ut exilitate vocis crescere immensas  
NOSTRI laudes posse sperem, debui hunc  
Magistratibus creandis sacrum occupare  
locum; sed ut incomparabili Virtuti meri-  
tisq; ejus debitum humillimè persolverem.  
Vix ac ne vix imaginem delineabo, artifi-  
cibus ingenio præstantibus miracula com-  
mendaturus reliqua. Qvis enim infiniti  
Numinis Vicario, in his terris maximo, tam  
excellenter tamq; diu de civilibus & sacris  
merito, si totum etiam se huic mancipet la-  
bori, gratias dependat gloriam immensam  
exæ-

(5.)

exæqvantes? cùm ad illum apicem pertinge-  
re fas nulli sit, neqv̄idem disertissimo. Qvis  
in Virorum sapientissimorum, Civiumqv̄e  
& Exeqviatorum ad panegyri hanc con-  
fluentium confessu, ea solus proferat, quæ  
singulis ac universis à iudicio eloqv̄ioqv̄e  
sese probent? Qvis deniqve in tantâ dicen-  
dorum mole non aut lapsum aliquem, aut  
casum præsentissimum formidet? Hæsitantem  
nihilominus abundè me solabitur, quòd  
hæc laudatio hoc minus obtreçtationis ha-  
bitura sit, cùm vestrà PATRES ACADE-  
MICI, auct̄oritate fretus, qvin immò novi  
ELECTORIS PRINCIPIS ac DOMINI,  
**DN. JOHANNIS GEOR-**  
**GII III.** imperio instructus paratissi-  
mum obseqviosa pietatis cultum testatu-  
rus adsim; non ignarus, qvemlibet, quan-  
tumvis maximè exercitatum, imparem fu-  
turum molimento huic. In tam ubere ac  
copioso differendi argumento, ut inficias  
non eam, plurima gravissimaqv̄e animo of-  
ferre se meditamenta; circumdaturus mihi  
ipsi nihilominus cancellos sum, intra quos  
mea, nolit, velit, se Oratio coarçtet. Vos,  
AUDITORES, Ordinum omnium hono-  
ratisimi, favebitis dicturo de sanctissimi  
B HERO-



HEROIS vita, meritis, encomiisqve, nullo per ferissimam posteritatem ævo reticendis. Aberit ab adulando, (adulari enim & jactare meum non est,) non à necessitate vera profitendi & dolendi, sermo: quia, qui in vivis neminem dimisit à se tristem, tristes deniqve post fata nos reliquit omnes. Illa est perpetua officiorum atqve constans lex, ut benè meritis vicissim grata animi significatio exhibeatur, etiam privatis: quod ipsum tantò magis debeatur Capiti supremo, quanto sunt illustriora ejus beneficia in nos collata universos.

Prius - verò - quàm magnifica divini Principis exponam gesta & virtutes, teneræ ætatis rudimenta, ortus maximè & progressus memorare decet; ut, quibus ex initiis tam grandia surrexerint, intelligatis hoc facilius. Nascendi forte illam consecutus est felicitatem, ut in Aula longè illustrissima, in urbe splendidissima, (quem enim Dresda latet? sedes, quæ multorum Ducum cunas lætabunda vidit,) ex Augusta atqve potentissima familia vitalem auram hauserit. Nunc si ad ultimos respicere progenitores debeam, in longè retrò secula eundum atqve ostendendum foret, quomodo ex WITKIN-

HERO-

TEKIN-

(7.)

TEKINDI ( ut nos credere jubent genealogiæ nostræ, ) Saxonum antiquissimi profectò Ducis, si non Regis, sobole descendat **JOHANNES GEORGIUS** Octovir. Ille, ille **WITTEKINDUS** amplitudine gestarum rerum tempore ingentis **CAROLI** jamdudum supra octingentos Annos altiùs implevit univèrsam orbem. Dedit Saxonum hæc gens Imperio Romano Cæsares, Pontifices, Regesq; & IMPERATORIBUS legendis AUGUSTISSIMOS ANTISTITES, Archiepiscopos, Ducesq; sine numero propemodùm, ac Principes, limitibus, provinciis & castris deniq; tuendis eminentiori gradu Comites. Sabaudia ac Holsatia Summates non modò, sed Galliarum etiam ac Daniarum Reges subtili generis contextu suum multi inde genus repetunt. Nunc quid de matrimoniis, affinitatibus, cognationibusq; præcipuas non Germaniæ duntaxat, sed Europæ cultioris quaslibet profapias innumeris necessitudinibus complexis dicam? Et si illa omnia uberrimè amplificarem, & sexcenta alia colligerem pomposè; quantum id tamen pro familiarum Augustissimarum, & Saxonica in primis Domus eminentiâ, ecquantum

(8)

um, inquam, videretur? Quid? quòd res  
ista non Orationis, sed historiae diffusioris  
modos impleat. Ad propiores igitur æ-  
tates accedendum; si vel indice signarim  
saltem ATAVUM ALBERTUM Saxonem,  
Imperii Romani dexteram; ejusq; Conju-  
gem ZEDENAM vel SIDONIAM, GE-  
ORGII Bohemorum Regis filiam: HEN-  
RICUM item, Heroa pium & magnani-  
mum: AUGUSTUM quoque Proavum,  
Religionis incorruptæ vindicem fortissi-  
mum liberalissimumq; Titum & immen-  
sis opibus, sed & stupendis artibus operi-  
busque memorabilem, felicissimum profe-  
cto Principem; Avumque CHRISTIA-  
NUM I. quo de filere jubet brevitatis, &  
loqui tamen imperat incomparabili felici-  
tate Conjux, BRANDENBURGICA  
SOPHIA ista, ELECTORIS filia, so-  
ror, nurus, uxor, ac duorum Electorum  
genitrix. Simile, si ad Annales provocem,  
exemplum, quantaqvanta est, Germania  
non vidit hactenus. Sed solus in com-  
pendio emendatissimæ virtutis gloriæq;ve,  
bellicæ non minus ac togatæ, Genitor ac  
Dominus, DOMINUS JOHANNES  
GEORGIUS I. cujus si aggrederer.  
tri-

triumphos, dignitates, acta Martiis insignibus contexta strictim etiam cursimq; hic delineare, nedum celsissimas exaggerare laudes, subverendum sanè foret, ne diutiùs proluxa rerum argumentorumq;ve series distineat plus justo eruditas aures. Habuit hic suum Plinium Trajanus: stat intemperatâ adhuc laude magnitudo ejus, & ætatibus infecuturis constitura est. Mihi quidem illud cogitanti sæpiùs occurrit, cum Augusta gens Saxonica tot Regiis culminibus innixa sit, tum istud huic compar, Nobilissimum Europæ sangvinem, in primis BRANDENBURGICUM, in venas Electorum Saxonum nostrorum confluisse. Sere-  
nissima nimirum Princeps MAGDALENA SIBYLLA, ALBERTI FRIDERICI Marchionis BRANDENBURGICI, Borussiaeq; Ducis Filia depositum divinum hoc reliquit terris hisce. Possem hic excursum laudis facere in eminentissimæ Domûs Brandenburgicæ origines; ab Avia, à Matre, à Conjuge deinceps Excellentissimis Principibus occasionem nactus. Illa etenim non uti stirps Osmannica vix IV. enumerare potest secula, sed octo atq;ve amplius, si per HOHENZOLLERANOS

A. c. 1513  
XIII. die  
Maji. XXXI.

C

Co-

Comites MERANIÆ q̄ve Duces nunc  
 digrediendum foret altiùs. Sed summa-  
 tim hæc commemoranda; ne, si percensere  
 omnia voluero, deficiam à viribus ac tempo-  
 re. Hûc ergò redeamus, ut tenella ætas  
 Principis ad incrementa inclytæ, nec sim-  
 plicis virtutis felicissimè formata videatur.  
 Sollers atq̄ve accurata institutio utramq̄ve  
 facit paginam; cùm in eâ vitæ bona mala-  
 q̄ve vertantur. nam ut in femente po-  
 sita spes mesfis; sic in illa Patriæ totius salus.  
 Solent, q̄vi fingendis Principum adolescen-  
 tium ingeniis præficiuntur, operam id dare  
 sedulo, ut, si virtutem aspernentur, mitigent  
 convenienti disciplinâ, & exemplis corri-  
 gant, ut cultum reverentiamq̄; Numinis ac  
 pietatis inserant non simulatæ semina; ut  
 scientiam imperandi justè, elegantiamq̄ve  
 morum, & humanitatem gravitate tempe-  
 ratam imprimant, laudando, commonen-  
 do, &, si opus fuerit, comminando. Quàm  
 vellem, AUDIT. ab Heroibus id priùs,  
 quàm admoverentur fascibus ac sceptris, di-  
 ligenter observari! Meliùs utilitati publi-  
 cæ consultum, meliùs auctoritati Imperan-  
 tium, meliùsq̄; Christianæ rei foret. Non  
 ornarentur, aut onerarentur potius, illiterati  
 homi-

cel. et. A.  
 oib. III.  
 M. 1000.

homines, & extra finum matris hospites  
 in orbe, spartis impares; sed viris munia.  
 Non illuderetur amplius virtutibus, minus-  
 que esset scelerum, & ex sceleribus poena-  
 rum. Quando nihilominus exosum no-  
 men, literas ac sapientiae professi artes, sunt;  
 non possunt non ingentium malorum cu-  
 muli, eventu exituque ipso comprobante,  
 surgere. Exemplum enarrabo lepidum,  
 sed sensu & personis grave tamen. Fuit  
 morum rector Caroli istius V. (maximi  
 post Magnum Caesaris,) Carolus & ipse Cro-  
 jus, Praeceptor autem Adrianus, postea ad  
 Pontificiam à Carolo evectus dignitatem.  
 Qui licet nactus esset Principem ingenio  
 artium quorumlibet capaci, BURRHUS TAMEN  
 SENECAE OBNITEBATUR. Crojus etenim, ut  
 solus amicitiae possessione frueretur Caro-  
 li, à literis avertit studia adolescentis divi-  
 nisimi, subinde ingerendo militares jocos,  
 uti Hadriano intercluderetur aditus, praesa-  
 gienti: fore aliquando tempus, quo praesen-  
 tis eum negligentiae poeniteret. Factum  
 est. Carolus nimirum Imperator cum Ora-  
 tionem Genuae Latinam eleganter recita-  
 tam intelligere non satis posset: agnosco,  
 inquebat, per suspiria, nunc maxime ma-  
 gistri

gistri mei, Adriani monita divina, & me poenitet, Latinitatis elegantias percipere non posse. Summis nimirum in Græcia Viris placuisse novimus, tum demum felicia Imperia futura, cum artium conscii moderatores optimarum regerent; aut, qui regerent, philosopharentur, id est, saperent. Platonis scitum nobile à magno Stagirita reprehenditur, ut Principes valde quidem eruditos esse neget oportere: quod & otii plus exigat; & si fiat ultra modum, parum dignitatis afferat. Quod non abnuerim, si aut solus sibi sapere ex eo videatur; aut cum Nerone ambiat Poëtas superare; aut antiquarios cum callidissimo Tiberio. Argute cantor celebris Macedoni Philippo, disputanti forsitan de Musices peritiâ ejusque gnaro: nunquam, inquit, Dii tantum mali faciant, ô Rex, ut tu canendi arte vincas me. Principi nimirum non ad plectra, sed ad sceptrata nato ea nota sunt, quæ in primis Reipublicæ expediunt. nam uti Principum in multis aliis diversa; sic in capeffendis literis alia à captu vulgi fors est. Sed enim infelix propter literas lingvasque varias huc usque nemo fuit Regum Principumque; cum justitiâ, sapientiâ, arteque stent Principatus

(13.)

patus atqve floreat. Verbis Oratores alii  
amplissimis facinora Heroum admirentur  
ac commendent; faciam nunc ego, ut in-  
telligant, nec ulli amplius ignorent, quid  
SAXONIÆ Augustus fecerit, religiosissi-  
mus JOH. GEORGIUS II. Quod etsi ali-  
orsum spectet, propter singularem nihilo-  
minùs in studia amorem hïc adjungam.  
Maximus jam natu & regimini mox admo-  
vendus fuit, postqvàm desiderio ingenti ad  
oracula coelestia, ex ipsis fontibus noscenda  
tenebatur, sanctam non tam Ebræorum,  
qvàm ipsius Dei lingvam, qvàm mortales al-  
loqui dignatus est, condiscere. Summo  
qvippe manè, (audi tu posteritas, imò au-  
dite delicatuli!) cùm altum adhuc sterte-  
rent, aut crapulâ hesternâ madidi, (sit venia  
Plautino verbo,) rhonchiffarent, jam non  
capita solummodò, sed libros & volumina  
perlegerat, aut prælecta ab Ephebis ex O-  
mnipotentis lege attentissimus acceperat.  
O qvàm beatus judicandus es, divine Prin-  
ceps, qvi dies pariter noctesq; sanctissimis  
his impendisti meditationibus! Eant nunc  
Romani veteres, & suum jactitent Cato-  
nem seniore, qvòd serò literas attigerit  
Græcorum, & jam tumulo vicinus hauserit

D

eo-



eorum ex Thucydide Demostheneq̄ve di-  
 disciplinas; afferantq̄; , solum nostris his tem-  
 poribus sufficere Galliarum Regem Chri-  
 stianiss. illum LUDOVICUM, qui ad  
 pudorem adigat rofores & osores liberali-  
 orum artium, dum per generis nullius non  
 scientias, Mothéo (quanto teste!) referen-  
 te, inexplebili conatu tam feliciter grassa-  
 tus est, ut gesta Potentissimi Monarchæ ob-  
 stupefcant Orbis. Alii deprædicent, perenni-  
 bus laudum monumentis inscribentes Au-  
 gustissimorum Britanniaë Daniaëq̄; & Nor-  
 vvagiæ Regum, CAROLI II. atq̄ve FRI-  
 DERICI III. heroicos impulsûs. Atq̄;  
 hujus quidem inter Coelites nunc trium-  
 phantis ardentissimum in literas cum sa-  
 cras, tum humanas, Sapientum hujus seculi  
 amorem, tam largissimas impensas factas,  
 & coronæ hæreditariæ accessiones hinc  
 consolidatas: Illius verò summi adhuc in-  
 ter suos scepra sapienter moderantis Prin-  
 cipis, in Regia Societate ex tot per Regnum  
 Angliæ Ecclesiasticis & Civilibus Proceri-  
 bus, excellentissimisq̄ve artibus, scientiis in-  
 genioq̄ve admirandis Viris (fallor, an pro-  
 pemodum trecentis?) ordinatâ felicissi-  
 mum auspiciis, huc usq̄; semper auctum,  
 D  
 quis

quis condignè satis aestimet? nec fateatur si-  
 mul, redivivum Hadrianum aliquem, aut  
 Antoninum ævi nostri salutandum eum  
 commodè; si in Romanos potius Rex, quàm  
 in Britannos incidisset. Ite, ac ridete, & nu-  
 gamini de palliatis & pullatis Viris homi-  
 nes calamistrati, ac imaginatione fortes,  
 quantum & quamdiu vultis. Erit tem-  
 pus, erit locus, quo vos poenitebit pariter  
 cum Carolo Imperatore. Sed digressis  
 longius, in viam, atque ad Heroa nostrum  
 redeundum est; ut, qualem se à teneris  
 probaverit, pateat. Culturæ animi con-  
 junxit corporis exercitationes nobilissimas,  
 quas magni semper aestimavit orbis gene-  
 rosior; progressus enim eò erat prosperè,  
 ut commilitones inter emereret, potissi-  
 mum in ludis Martiis, in equitandi arte,  
 sphaeristerio, hastiludiis, palæstris; more ve-  
 terum in Perside, in Græcia, in Latio, &  
 Germania Heroum. Jam Viri firmitate  
 præditus (proh fidem Numinis!) quid non  
 pro suæ gentis gloria est ausus? Cætera qui-  
 dem statim adsunt Principi; sed unum hoc  
 insatiabiliter parandum illi, ut à Numine,  
 commissas per tot spacia provinciarum  
 vices pie, justè, sobrièque administret. Cla-  
 râ vo-

rà voce repeto, ac denuò profiteor, Piis-  
 mum fuisse Principem, JOHANNEM  
 GEORGIUM II. Pietas virtutum genu-  
 ina mater omnium, vel sola efficit felicem,  
 neque sola tamen sine famulatio aliarum  
 cernitur. Ut enim semina videmus, foe-  
 cundissima quantumlibet, si non incide-  
 rint in solum fertile, subactum, & coelesti  
 rore irrigentur, nullam modicamvé germi-  
 nare frugem; ita nisi pietas præcedat ad  
 religionis sacrosanctæ imbibendos fatûs,  
 omnis, omnis opum & consiliorum vis ac  
 virtus evanescit. Felicissimum imperium  
 existimari debet meritò, quod religionis  
 atque sapientiæ inniti solet fulcro. Prin-  
 cipes impensius à subditis amari, qui testa-  
 tiori cultu Deum colunt, hincq; eam tra-  
 here obsequiorum formam credo; quòd  
 intelligant, non sibi ut mortalibus paren-  
 dum saltem, sed inprimis propter immor-  
 tale Numen. Qui fulminatorem Deum  
 ex gentilibus finxere Jovem, rem minimè  
 videntur ludicram in medium attulisse;  
 sed potestates illas summas regiminis divini  
 imitatrices esse voluerunt. Non me ita bo-  
 næ mentis fideiq; datæ poenitet, ut a-  
 dulari velim: conscientiam appello ve-  
 stram,

stram, PATRES Proceresqve! Testis est  
 Saxonia hæc univërfa, testimonio sunt A-  
 cademiæ, insigni dotis & amoris incremen-  
 to fotæ. Sacratissimum hoc Templum,  
 hoc verendum Augustale, qvòd suprà nos  
 eminet, testabitur, qvòt vicibus in publico  
 sint decantatæ laudes Principis munifici.  
 Vos conscia ingentium curarum Aulæ De-  
 cora, exceptione qvalibet majora, nostis!  
 Aliud ex alio occurrit mihi: qvòdq; non  
 succurrit, Vos explebitis. Qvis vestrùm  
 est, coelestium interpretes oraculorum, qvi  
 toties (nec enim numerare mihi integrum  
 est vices,) Codicem perlegit veteris novi-  
 qve Instrumenti divinissimum, qvòties SA-  
 XONIÆ DUX ac ELECTOR noster?  
 Sed nec sine commentationibus ad suppu-  
 tationem temporum, ad Patriarcharum, ju-  
 dicum Regumqve in Judæorum populo  
 notitiam, absolvit annotator sedulus. Jam  
 qvòties impensis propriis, splendidiori for-  
 mâ, hîc & alibi ter venerabile Bibliorum  
 opus typis imprimi curavit? Qvòt verò  
 vicibus, in Aulæ & communes usûs con-  
 scriptum Torgæ catecheticum systema  
 luculento ære hæctenùs recudi jusfit?  
 Transeo vulgata toties Ipsius jussu precum  
 E atqve

atque sanctioris musices volumina. Quoties solemnes Deo gratias venerabundus flexo poplite instituit, unquam retulit acceptam, cui debuit, felicitatis gloriam. Adhuc in animis hærebunt nostris, toties adversus barbaros Mahummedanos, adversus hostes quoslibet Imperii indictæ supplicationes. Jam de festis extra ordinem, imprimis secularibus, in honorem Numinis, & Lutherani nominis memoriam, nec non pro Pace semel iterumque acquisitâ, imperatis quid adjiciam? Quid verò dignum laude satis afferam pro tot tantisque sacris Ædibus magnificè aut excitis recens, aut à ruina vindicatis? Quis Hanoviæ præclari Templi fundamenta primus jecit? VICARIUS IMPERII tunc noster Augustissimus. Quis Mauritioburgensia & Königsteiniana Tempora ornatisima molitus est, aut dedicavit? JOHANN. GEORG. II. Quis Dresdense Aulicum, Misnense, eminentiâ Episcopali celebre, quis Torgense etiam, & plura alia sacraria vel Regio donata cultu instauravit recens? JOHANN. GEORG. II. Quis tantam coelesti fulmine stupendam venerandæ Crucis turrim tantâ & tam duraturâ mole

mole auxit? <sup>(19.)</sup> JOHANN. GEORG. II.  
Qvis Academias, Ecclesiasqve & provinci-  
ales scholas, quantum in ipso fuit, constitu-  
tis ad id munus Ephoris gravissimis, invisi-  
jussit atqve emendari? JOH. GEORG. II.  
Fide præsentissimâ promitto, si diutiùs su-  
pervixisset, non passurum eum longiùs, ut  
interverteretur toties mandata reparatio  
illustris admodùm Basilicæ, in quâ nunc  
sumus. Qvos enim, Principum Indulgen-  
tissime, honores Sapientiæ doctoribus non  
impertitus es? qui cùm inopiâ aut iniqui-  
tate premerentur, Tute absolvebas benefi-  
cium, & fortunæ occurfabas. Fruere hâc  
laude pietatis, HEROS, cujus gloria ad Te,  
ad posteros memoria, exemplum ad alios,  
utilitas ad omnes spectat. Magna vox  
JOHANNIS FRIDERICI, Ducis  
Württembergici hæc fuit: MALLE SE MEN-  
SAM PARCIUS INSTRUI SUAM, QVAM PATI, UT  
VEL TANTILLUM CUM COLLEGII, inclyti Tu-  
bingæ scilicet, DETRIMENTO IMMUTETUR.  
Genus hominum in orbe superat, Platonis  
& Catonis sectatoribus infestum, coenis  
provocans Apicium, deliciisqve Mecoena-  
tem, ad ventris pariter & gulæ vitia vena-  
lem exhibens Rempublicam; mortales occupa-

cupa-

cupati inter speculum & pectinem, qui Cæsarem perire mallent, quam cæsariem: hi si regnassent in his regionibus, profectò actum dudum de tot doctis esset. Hæc nostra nos intelligamus, intellecta æstimemus commoda. Non subito fortuito vé Principes existunt tales, qui virtutes tot sorores habent; neque temerè in illam Celsitudinis divinæ sedem evehuntur. nam & populorum præfides coelestis providentia indulget; & in illos semper est propensior, qui majori pietate ac obsequio in incorruptum Numinis feruntur cultum, & in benè meritos ac virtuosos munera dispensant. Nunc laus laudem, ut virtutem virtus excipit. Sed tamen tempus, quo in præsens circumscribor, oppidò angustius videtur, quam ut satis omnia hîc explicare queam. Dicam nihilominus permissu vestro, quam brevissimè potuero.

Pietatem sequitur Justitia, arctissimo connexa vinculo. Ut enim Deum inter hominesque quædam est societas, ut tribuere constanter suum homini non possit, qui non priùs suum Numini tribuerit; sic cum æqui ac religiosi studio res sese habet. Quare etiam Naturæ id dictatum perhibetur

tur

tur proximè conjunctum geminum, colendi Numen, suum pariter cuiq̄ve tribuendi. Notum omnibus est vobis, AUDITORES venerandi, quantâ rectitudine judicia ubivis constituerit: quantâ prudentiæ dexteritate Senatores in illustribus collegiis, Præsides præfecturarum, quæstores, iudices, elegerit: quantâq̄ve diligentiam auxerit, correxerit ac instauraverit provincialia municipaliaq̄ve jura. Quis robur illud animi non obstupescat? dum nullo habito in capitalibus respectu personarum (nobilis ignobilisve citaretur reus ad plectendum,) semper liberam sententiam incorruptamq̄ dixit. Exemplum mihi memorabile occurrit nunc, cum de jure, sed humano, respondissent qui interrogari solent, mitiusq̄ve in blasphemum hominem pronunciasse viderentur, poenam quantam jusserit infligi. Perplexa occurrebant atq̄ impedita? animi præsentiam hæc explicabat; obscura? illustrabat; lubrica? firmabat; improvisa? occupabat ante. Rarò equidem tam consummati Principes existunt, nunquam ita oculati, ut ab assentatoribus, & fide lubricâ ministris decipi non possint. Hinc insignis est Aureliani apud Flavium

F Vopis;



Vopiscum locus : NIHIL ESSE DIFFICILIUS,  
 QVAM JUSTE IMPERARE. COLLIGUNT SE IV.  
 VEL V. ATQVE UNUM CONSILIUM, AD DECIPI-  
 ENDUM IMPERATOREM CAPIUNT : DICUNT, QVID  
 PROBANDUM SIT. IMPERATOR, QVI DOMI  
 CLAUSUS EST, VERA NON NOVIT : COGITUR  
 HOC TANTUM SCIRE, QVOD LOQVUNTUR ILLI.  
 FACIT JUDICES, QVOS FIERI NON OPORTEBAT.  
 AMOVET A REPUBLICA, QVOS DEBEBAT RETI-  
 NERE. Tantum est, justitiam cum pietate  
 colere prudenter.. Liberalitatem Princi-  
 pis, aut potius magnificentiam si illustratum  
 eam, jam non unâ opus erit clepsydrâ. Nul-  
 lum eqvidem fastidiebat nationis genus,  
 cui beneficia probaret, in quo enitebat vir-  
 tus. Ex amicorum, quibus indulgebat,  
 albo eradebat nullum, nisi quem necessitas  
 extrema exturbabat ; tenebat quisque lo-  
 cum, quem meruerat favore. Cumulata  
 in egenos, exules, & peregrinos varia spe-  
 cimina quis percensebit ? Ex munificentiae  
 hâc officina fluxit, quod ex Oriente, Asia  
 & ultimis Septentrionis oris homines huc  
 advenere, qui experirentur ejus liberalita-  
 tem. Per XX. annos atqve amplius ex Sy-  
 riâ Ninivéum senem ; quem Germani ni-  
 grum, & cavendum appellabant, aluit fo-  
 vitq;

(23.)  
vitq̄ve indulgentiâ vix enarrabili. Eccle-  
fiis in Asia Armeniorum per Jacobum de  
Gregoriis Presbyterum, Constantinopoli  
per fratres Jeremiam & Basilium, Lectores  
publicos hûc amandatos, Græcis in Tro-  
jano agro per Halæcum Stephanum, Ruf-  
sisq̄ve per Gontkovvskium, & plures antè  
missos atq̄ve postea, nec ope defuit, nec o-  
pibus. Cohortes, imò agmina enumerare  
possis hominum, ex obscuritate converso-  
rum Pontificiâ, benignè receptorum. Exu-  
les divinæ veritatis causâ, ex Polonia, &  
Hungariâ, Bohemiâq̄ve Regnis ad nos mi-  
serè transgressos servatosq̄ve quis exponet  
omnes? Ptolemæus Rex dicebat: magis  
esse regium ditare, quàm ditescere. Dita-  
bat sine numero Germanos, Italos, Helve-  
tios, Croatas, Dacos, exteris imprimis ob-  
lectatus, Serenissimus Dux noster. SUR-  
SUM animus tendebat semper, famæ avi-  
dus ac gloriæ: DEORSUM non respicie-  
bat, patriam in coelis quærens. Vulgares  
animæ vix capiunt mensuram sapientiæ,  
per symbolum signatæ. Scelerum tot in-  
voluta est integumentis vita nostra, ut ne  
ad momentum quidem, nisi vigil ille ocu-  
lus, qui SURSUM colitur, prospiciat abun-  
dè no-

dè nobis, à periculis DEORSUM occur-  
 rentibus immunes existamus. Tulit fru-  
 ctum meditationis hujus felicissimus ELE-  
 CTOR, DEO, CÆSARI, IMPERIO-  
 QVE fidus; seu ab Antichristiano bar-  
 baro foedisimoq; Turca, seu à Rege Chri-  
 stianissimo infestis peteretur armis. Gra-  
 tulandum oppidò his ditionibus ac terris  
 est, quibus, quoad imperavit, Halcyonia af-  
 feruit; & ut assereret, vigiliarum tempora  
 somniq; nulla facile discriminabat. Quid-  
 ni igitur PACIFICUM hac parte SALO-  
 MONEM cum nominet SAXONIÆ  
 Electoratus? qui, quamdiu habuit JO-  
 HANNEM GEORG. II. hostilem  
 exercitum non vidit. Multa, si non per-  
 timescere, vereri nihilominus coguntur ii,  
 quibus summa Reipublicæ commissa salus  
 est: ancipites bellorum exitus, ruinas ur-  
 bium ac regionum, præliorum & discrimi-  
 num difficultates; cladi connexa in i-  
 gnominiam & calamitatem desitura mille  
 mala. Prudentius est cunctari, quam per-  
 præceps hostibus præbere nudum latus.  
 Principum habenda in consilio fortuna,  
 propter publicam salutem Patriæ, quibusli-  
 bet anteferenda commodis privatis, est. U-  
 tilius

tilius omninò æquiusq̄ve asseram egisse,  
 qui semper prosperis in rebus, & florente  
 pace gloriam quæsiverit, quàm qui ex cæ-  
 de hominum populorumq̄ve strage. Nu-  
 merent exercitûs contrucidatos bellicosi  
 Duces; exitio humani generis triumphato-  
 res audiant; Princeps noster SALOMO  
 salute servatorum civium ac subditorum  
 meritis coronam est. Nec tamen non &  
 calluit & coluit ad excellentem usq̄ve gra-  
 dum militandi artes atq; instrumenta. Cu-  
 rulum fulminatriciumq̄ve machinarum  
 copiam servabat ad tuendum, adhibebat  
 ad lætandum, non lædendû. Sed quid opus,  
 in re omnium experimentis testatissimâ  
 diutiùs immorari? Cùm Imperium ex o-  
 mni pænè latere appeteretur sæpiùs, quos  
 non impendit sumtûs & labores per illu-  
 stres ac amplissimas Legationes? nuper e-  
 tiam ut disidentes invicem conciliaret Re-  
 ges Inviçtissimos Septentrionis, Galliarum  
 pariter Monarchæ talem se probavit, mis-  
 so ad eundem Oratore, q̄valem maximè  
 decebat. Francofurti olim atq̄ve Ratis-  
 ponæ præfens ipse in Comitiiis, cùm diffi-  
 cillimi intervenissent, hîc non exprimendi,

G

casus



casus, subito productus velut Deus aliquis  
 è machina, impeditissimos labyrinthorum  
 exitus tam facile quis extricavit, quàm  
**SAXONIÆ ELECTOR** divinissi-  
 mus? Qui laureas non amant aestimantq;,  
 nisi pulvere cruento sordidatas, hominis  
 nobilitatem belluæ immanitate metiun-  
 tur. Illud tamen, quanquam nunc ad  
 exitum Oratio festinat, transilire nequeo,  
 fuisse, qui id darent vitio, quòd togæ hæc  
 felicitas degeneraret in excessum pompæ  
 aut luxuriei. Sed facilius est reprehende-  
 re, quàm emendare talia, quæ non minùs  
 alii imitarentur, si ambitionis exercendæ  
 præstò saltem instrumenta forent. Date  
 istam mihi veniam, honoratissimi Ordi-  
 num omnium **AUDITORES**, ut eò poti-  
 us se flectat sermo, & subnectat, quæ dif-  
 ferre hæctenus coegit ipsa rerū inter se im-  
 plicatissimarum moles. Vidimus in luce  
 rerum publica religiosum, magnificum, pa-  
 cificumq;ve Principem; nunc, quàm felix  
 fuerit in statu etiam domestico ( si tamen  
 intra domicilii angustiam Majestas claudi  
 Imperantium potest, ) videamus. Rede-  
 at nimirum in memoriam connubium  
 cum

cum consummatissimæ virtutis vel heroico exemplo, **MAGDALENA SYBYLLA BRANDENBURGICA** auspicatisimum. Dedit Patriæ hæc Mater Serenissima hæredem Filium Augustum **ELECTOREM** hodiè; ac reddidit Ducali **MARCHIONUM BRANDENBURGICORUM** domui cœlestibus annumeratam dudum divam **ERDMUTHEN SOPHIAM**, Filiam: ne quid de pignoris tenelli obitu hîc dicam. Salomon incomparabili Rex sapientiâ illecebris circumventus muliebris defecit ad idola. Nullum **SALOMONI** nostro ab **ABIGAELE BRANDENBURGICA** periculum. Agebat intra limites cùm reverentiæ in Deum Illustrissimumq̄ve Conjugem, tùm prudentissimè advigilabat tamen ornamentis Augustissimæ familiæ.

Densissimam prætervehor hîc dicendorum sylvam, dum in decurrendo rerum spacio amplissimo sermoni statuendus modus est. Repetite apud Vos parumper, **Ordinum omnium honoratissimi AUDITORES**, quàm formidolosa, quamq̄ve luctuo-

Quosâ tempora grassante vehementius in  
 Austria, ipsâqve sede Augustissimâ Viennæ,  
 pestilenti malo perterruerint plerumqve  
 hoc Germaniæ, afflixerint Moraviam, in-  
 primis Bojohæmiam. Laborabat PATER  
 PATRIÆ pro finibus tutandis, pro salute  
 Optimi Maximiqve LEOPOLDI sui  
 CÆSARIS sollicitus. Quid fit? itinere in-  
 terpolatur moeror, & solenne Aulicum pa-  
 ratur, nescio quod, Torgæ. Vix redux  
 factus commodè ELECTOR Dresdam  
 repetit, conqveritur post dies aliquot de  
 valetudine affectâ. Est ex se feralis men-  
 sis Martius, & senium pro morbo. Quis  
 miretur igitur, si fatigatum curis infinitis  
 Caput, semper excubans pro omnium sa-  
 lute, nunc à viribus destitui, nunc etiam à  
 corrupti sangvinis fermento pertentari ad  
 partem corporis delicatissimam, id est, ex-  
 teriores oris oras audiat? Periculum ca-  
 tharri contumacis majus metu, aut opini-  
 one deprehensum est. Ast hæc, dum me-  
 cum reputo, perturbor peracerbâ recor-  
 datione, AUDITORES. Illa enim fa-  
 ti lex obtruditur, quam abs me requirere  
 adhuc videmini. Ego verò invitissimus,  
 &re-

& reluctanti propior, ut animo admittam, vix adduci possum; nedum ut oratione exprimam. Cogitabundus, credite, profectò cohorresco, cum hæc mihi repræsentò. Latiùs ne serperet catarrhi vis, consensum à chirurgis fuit, qui tunc convocati aderant, ut sectio adhiberetur. Præparat in omnes casûs mentem Princeps divinissimus, ad ea, uti expiatus Numini sanctissimoq; pastus epulo, nil formidârit, sustinendo fortiter, quæ emendari aliàs non posse, asseruerant. Fit sectio; speratur restitutio in integrum; nec sine temporario successu. Latebat malum tamen in vitalibus, mox rediturum, cum evanuisse crederes. Interea contagionis semen pestilens ex Bojohæmia vicina propagatum corripit Dresdenses suburbanos, ab his tendit ad interiora. Quid faceret non suo tantum, sed suorum etiam nomine tam vehementer consternatus PATER PATRIÆ. Vix omnibus, quæ tùm adhibebantur, precibus expugnabatur, ut relictâ principali sede, potiùs salutis suæ Serenissimæq; domûs commodis serviret. Destinatur iter igitur Fribergam, ubi, quæ coierat cicatrix, recrudescit. Accitus aliunde

H

homo



homo medicus non planè non fategit partium. Allegabamus Deo vota jam, mox reddituri ea, quorum propemodùm damnati videbamus. Sic per unum atque alterum curatio extracta mensem, exitu ferali omnibus terminabatur. Ergo domina & rerum moderatrix Providentia piissimum Heroa te selegit victimam? ô casum Saxoniae gravissimum, Germaniae acerbum! Hæccinè ad aras tui capitis devotio non potuit à nobis ullâ parte redimi? Sed quò exerro, dum his differor doloribus? Compositâ ferebat mente fatum. Nimirum ut suprema mundi pars perpetuò serena est; non pluviis, non ventis, non fulminibus turbatur; ita animus sublimis omni celsior, vel mortis etiâ periculo, non facilè succumbit. Plenus Numine, divina cum divino vate, etiam post mortem fido, & incomparabili Theologo GEJERO, miscuit colloquia, imò oracula. Suspiriis hûcibat, quò vicinæ liberationis spe, deponendæq; sarcinæ corporeæ attinebatur toto animo. Affixus lecto coeli æstuabat desiderii; viatico mysterii sanctissimi ad æternitatis iter emunitus, inter comprecantium ac conclamantiû  
supre-

suprema vota, emigravit spiritus. DEORSUM  
hodiè mittuntur ossa, quæ in Regali ferè mau-  
soléo molliter quiescant, rediviva iterum  
futura ad extremæ buccinæ clangorem:  
SURSUM anima in illis beatorum sedibus tri-  
umphat, atq; immortalis fruitur felicitate a-  
nimus semideus, mortaliumq; dedignatur  
vilitatem; ineffabile acroama solenni accla-  
matione resonat: Sanctus, sanctus, sanctus,  
Dominus Deus exercituum! O Jesu, quanta,  
quanta hæc felicitas, Angelicis laudationi-  
bus, coelestibusq; interesse symphoniis! Æ-  
vum ibi sine fine agit NOSTER,

— — — *ubi lumine vero*  
*Sese implet, stellasq; vagas miratur & astra*  
*Fixa polus, videt & , quantâ sub nocte tegatur*  
*Nostra dies.* — —

Fuit ea Romanorum veterum superstitio,  
repetita ab heroicis temporibus, ut Monar-  
chiæ sanctæ conditorem Julium, & serie  
ulteriori Cæsares ad venerationem conse-  
cratos in deorum numerum referrent.  
Non eò ambitionis gloria divini Principis,  
nec nostra ostentatio progressa unquam  
est, ut aris, fanis, & Flaminibus inaugurandos  
colendosq; arbitremur homines. Absit a-  
potheosis profana! fateamur interim, re-  
ceptam

ceptam coelo ELECTORIS animam Indi-  
getem.

Te nunc humillimè appello, JOHANN.  
GEORGI III. qvi sanguinis successione Pa-  
trem, ore, oculis ac animo, qvidni & mori-  
bus deinde, Avum, tanta refers nomina, in  
sinum tuum confugit Respublica concussa  
consternataqve; in Te spes fortunæq; no-  
stræ omnium recumbunt. Genitor divi-  
nus, si nunc intercedere humanis posset a-  
ctibus, ex Augustali feretro sic affaretur Fi-  
lium Augustum: Vale, vige, flore Delicium  
Decusq; nostrum! curam pietatis, incorru-  
ptæ veritatis Evangelicæ, justitiæ pro Ordi-  
num ac subditorum bono, curam etiam  
Musarum, alioqvin exulum, amorem pa-  
triæ, Progenitorum ad exempla suscipe fe-  
liciter! Te quæsumus veneramurq; castis  
precibus excelsum Numen, ut, quæ vota  
audivisti olim in exortu novi Solis Patriæ,  
hæc eadem exaudias, quæ pro ulteriori e-  
jus incolumitate, pari, aut majori pietatis  
studio jam Tibi nuncupamus! Bonos a-  
met, Optimis quibusqve evasurus melior!  
Germano stueatur, literatos foveat, illorum  
sempiternis dignus monumentis!

DIXI.



16 13  
SANCTÆ PERENNIQVE MEMORIÆ  
SERENISSIMI OLIM POTENTISSIMIQVE  
PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. JOHANNIS  
GEORGII SECUNDI,

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MON-  
TIUMQVE DUCIS, S.

MARESCHALLI ET ELE  
THURINGIÆ, MARCHION

UTRIUSQVE, BURGGRAVII M  
MARCANI ET RAVEN

RAVENS

RELIGIOSI, MAGNIFIC

JUSSU ET AU

PATRIS PATR

SUCCESSOR

NOMINE RITU

ACADEMIÆ VVIT

IN TEMPLO ARC

VI. EID. OCT

IPSIS EXEQVIARU

A. cl3 l3

GEORGIO CASPAR

HABITUS SOLENNITER

PANEGYRICU



WITTEBERGÆ, Literis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.

